

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo annunciationis Mariae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

quoque verbum suum verificabit in nobis, ut requiem animarum inveniamus, h. e. nō modo in requie vivemus, contrā quā su- perbi & vindictæ cupidi: sed & benedicti- onem hæreditate possidebimus, 1. Petr. 3. v. 9. cum omnibus electis vocem amabilem

percepturi: Venite benedicti Patris mei, hæditario accipite paratum vobis Re- gnum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Quod nobis JESUS noster largiri dignetur, Amen.

## IN DIE FESTO ANNUNCIATIO- NIS MARIÆ.

*Evangelium Luc. 1. v. 26, -- 38.*

### EXORDIUM.

**A**pparuit olim Angelus Domini, uxori Manue, quæ hætenus ster- tilis fuerat, eique conceptionem hæc verbis annuntiavit: Steri- lis es, & absque liberis: sed concipies & paries Filium: cave ergò, ne bibas vinum & siceram, nec immundum quicquam comedas; quia concipies & paries Fili- um, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia suâ, ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum, Judic. 13. v. 2. 5.

In prælectâ Pericope similem ferè hi- storiam invenimus. Velut enim ad ste- rilem Manue uxorem, Angelus Domini accessit, eique conceptionem Samsonis annuntiavit: Ita & Angelus Domini ad desponsatam virginem nomine Maria, Nazaretham missus est, ut ipsi nunciaret, quod mater Messia futura esset. Ita enim verba ejus habent: Ecce, concipies in utero, & paries Filium, & vocabis no- men ejus Jesum: Hic erit magnus, &

Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David, Patris ejus, & regnabit super domum Jacob in æter- num: & Regni ejus non erit finis.

Hoc maximum est miraculum, quod hætenus in mundo factum, quod nempe hodiè Filius Dei in utero virginali conce- ptus, ubi tres singulares & miraculosæ conjunctiones factæ sunt, dum *Deus & ho- mo, mater & virgo, fides & cor humanum* invicem uniuntur. Quis unquam talia audivit? meritò ergò cum Davide exclamamus: Hæc est dies, quam fecit Domi- nus, exultemus & lætemur in eâ, Psal. 118. v. 24. Hunc quippè diem Prophetæ, Patriarchæ & Reges V. T. cum desiderio expectarunt, subindè suspirantes, cum Jacobo: Expecto salutare tuum, Domi- ne, Genes. 49. v. 18. cum Davide: Quis dabit ex Sion salutem populo Israel? Psal. 14. v. 7. cum universo populo: Ro- rate cœli desuper, & nubes pluant justi- tiam: aperiatur terra & germinet Salva- torem, & justitia oriatur simul, Esa. 45. v. 8.

Uti-

Utinam disrumperes cælos & descenderes, Esa. 64. v. 1. hæc vota & gemitus piorum Veterum fuerunt, respectu quorum nos multò feliciores censendi, siquidem nos oculis nostris videmus, quæ illi voluerunt videre, & non viderunt: & auribus audimus, quod illi voluerunt audire, & non audierunt. Quâ de beatitudine pluribus præsentem die in Ecclesia Dei prædicatur.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegetis.

**O** Primè pii Veteres dixerunt: Plus esse reparare mundum perditum, quàm creare nondum existentem. Hoc unico verbo perfecit Deus. Dicente enim: Fiat, factum est, Gen. 1. v. 1. seqq. Ibi verò Filium suum unigenitum in mortem tradidit. Nam, ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum &c. Galat. 4. v. 4. 5. Hoc hodierno die nobis in memoriam revocamus, quem Athanasius, *primarium, verendum, & sacrosanctum Fesum* appellat, quia illo ipso initium redemptionis nostræ factum, & B. Mariæ per Angelum Gabrielem latissimum nuncium allatum est, quod mater Messix evasura sit, sicut id pluribus Evangelium prælectum testatur.

*Querela respicit*

- I. *Loci vilitatem*, quod Evangelista indicat,

1. *Generatim*, inquit: Missus est in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth. Hoc oppidum situm erat in Tribu Zabulon, trium dierum itinere ab Hierosolymâ, adeò spretum tempore Christi, ut Nathanaël liberè dixerit: A Nazareth potest aliquid boni esse? Johan. 1. v. 46.

Quod proindè Servator obscuro ejusmodi loco ~~scilicet~~ voluerit, factum est, ut ostenderet, Regnum suum non esse de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. sed esse se Doctorem humilitatis, Matth. 11. v. 29. qui humilia respiciat, Psal. 113. v. 6. nec venisse ministrari, sed ministrare, ut daret animam suam pretium redemptionis, pro multis, Matth. 20. v. 28.

Inveniuntur, qui gloriosum ducunt, è celebribus civitatibus ortum trahere, quod & adeò non aspernandum est: sed coràm Deo hîc nullum discrimen: sed quicumque eum timet, & rectè facit, acceptus est illi, ubicunque locorum ille tandem habitet, Act. 10. v. 35.

Philosopho Anacharsi quidam exprobravit, quod in Scythiâ inter Barbaros natus esset: at ille scitè respondit: Mihi probro patria est, tu patriæ. Quilibet videat, ut honestari studeat, id gloriosissimum ei erit, licet ex obscurissimo pago natus sit: Oculi enim Domini respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3.

2. *Speciatim*, quando & domus mentionem facit, in quam Angelus diverterit: quæ fuit domus Mariæ, virginis Nazarethanæ, desponsatæ viro, cui nomen erat Joseph, de domo David. *Maria* interpretatur *amarum mare; filia doloris*, quæ quo-

quotidiè lacrymas profundit : Siquidem stirps Davidis tùm temporis in extremam pauperiem devenerat, Josephò fabro, ipsa vero humili ancilla existente, ut ipsa confitetur, Luc. 1. v. 48.

Hâc in parte *imago Ecclesia* est, quæ misera tempestate convulsa dicitur, Esa. 54. v. 11.

Mariæ animam gladius pertransit, ubi Filium suum inter maleficos in cruce pendentem conspexit : sic Ecclesia subindè queri cogitur : Dominus replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio, Thren. 3. v. 15. quoties Agnus Paschalis cum lactuca amara nobis vescendus? Exod. 12. v. 8. quoties venimus in Mara, ubi amara aqua bibenda? Exod. 13. v. 23. Militia enim perpetua vita hominis est, Job. 7. v. 1. & crucis variationes & exercitus contrâ nos sunt, Joh. 10. v. 17.

Cùm Naëmi in patriam reversa esset, velox apud cunctos fama percubuit, ut dicerent mulieres : Hæc est illa Naëmi! Quibus ait: Ne vocetis me Naëmi, i. e. pulchram: sed vocate me Mara, i. e. amarâ, quia amaritudine valdè me replevit Omnipotens, Ruth. 1. v. 19.

Sic nobis quoque non immeritò querendum; Ego in flagella paratus sum, & dolor est in conspectu meo semper, Psal. 38. v. 19. maximè quando videmus inimicos nostros felices esse, nos verò velut menstruata habemur, non habentes consolatorem, Thren. 1. v. 5. 8. 9. Verùm sicut Israelitæ à Mara in Elim venerunt, ubi duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ erant, Exod. 15. v. ult. Ita hoc nobis solatium restat, quod Dominus nos tandem salvos facturus est in Regnum

suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. ubi non amplius aquam amarâ bibemus, sed gaudebimus & exultabimus, usque in sempiternum, in his quæ Dominus creabit, Esa. 65. v. 18. Maria in Syriaca lingua idem est, quod Domina: Ira quando satis diu cum Christo in luctu fuimus, cum ipso quoque exultabimus lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

II. *Humanam timiditatem*, quæ hinc elucescit, quod Maria timore percellitur super visione hæc. Nam cùm vidisset eum, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis illa esset salutatio.

Nos miseri homunciones per peccata adeò depravati sumus, ut nihil boni in nobis habiter, Rom. 7. v. 9. hinc fit ut exhorrescamus, si Angelum videamus, quia metuimus, ne Deus per Angelos peccata nostra vindicet, sicuti subindè Angelos suos executores justitiæ suæ adhibuit.

Id perspicimus in Manoë patre Sansonis, Judic. 13. v. 21. 22. Daniele, c. 10. v. 17. Mulierculis ad sepulchrum Christi proficiscentibus, Marc. 16. v. 5.

Quod si hoc piis contingit in hæc vitâ, quid impiis fiet die novissimo, qui jam adeò præfractè in peccatis pergunt, & non modò Deum ad iram provocant: sed & Angelos tristitiâ afficiunt. Quomodo illi expavescent, & contremiscent, quando videbunt Dominum venientem, & omnes Angelos cum eo, Matth. 25. v. 31. Ergò in tempore gratiæ de peccatis dole, servi Domini in timore: & exulta ei cum tremore, Psal. 2. v. 11. Nam beatus,

ggg g

qui

qui semper est pavidus, Proverb. 28. vers. 14.

Id fecit Josephus, Gen. 39. v. 9. Jobus, c. 1. v. 8. Susanna, Histor. Susann. v. 22. Horum vestigiis & tu insiste, plus timens Deum, quam mundi terculamenta inania. Homines modò corpus occidere possunt: Deus verò animam & corpus in gehennam perdere potest, Matth. 10. v. 28.

III. *Conjugum sterilitatem.* Hic audimus Elisabetham ex rumore sterilem fuisse. Apud Judæos enim opprobrii loco habebatur, sine prole esse: ita ut Rachel mori maluerit, quam sine liberis esse, & cum tandem Deo benedicente, peperisset, dixit: Abstulit Deus opprobrium meum, Gen. 30. v. 23.

Adhuc hodiè cernimus, quomodo conjuges, benedictione conjugali carentes desiderium suum contestentur. Nam hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris, Psal. 127. v. 4. Ideò Tobias ait, quod Conjugem accipiat, solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen Dei in secula seculorum, Tob. 8. vers. 8. 9.

Præterea per prolem genus propagatur, & conservatur, & quando probus pater moritur, est, quasi non mortuus esset: similem enim reliquit sibi post se, Sir. 30. v. 4.

Quin & Respublica hoc modo emendatur. Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen, Sir. 41. v. 19.

Hoc triplici fructu carere coguntur steriles. Hinc Veteres dixerunt: Quod mundus est sine Sole: hoc conjugium est sine prole.

Quia verò Deus clavem puerperii habet, qui modo recludere potest, & facere sterilem, matrem filiorum lætantem, Psal. 113. v. ult. & vicissim claudere, & sterilitatem tanquam pœnam immittere, ut qui aliàs fœcunda fuit, nihil pariat, sicut exemplum Michol testatur, 2. Sam. 6. v. ult. pii conjuges melius faciunt, si in voluntate Dei acquiescant, quam si media illicita adhibeant, divortium, vel auxilium apud sagas quærant, quò Deum irritant, ut quandoque illis liberos largiatur, sed degeneres & improbos, ut Rebecca experta, Gen. 25. v. 22. ubi proprio exemplo edocti, illud Siracidis approbare coguntur: Utile est mori, sine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir. 16. v. 1.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
 I. *Ex angelica missione.* In mense enim sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo. Gabriel idem est, ac fortitudo Dei, ille ipse conceptionem ejus annunciare tenebatur, cujus nomen vocatur Deus fortis, Esa. 9. v. 6. antè conceptionem Johannis quoque annunciaverat, Luc. 1. v. 13. & Danieli tempus præfiniverat, quo Sanctus Sanctorum ungeretur, Dan. 9. v. 24. ex hac causa Deus eundem & hic adhibere, & per eum conceptionem Christi, & impletionem vaticinii, B. Mariæ significare voluit.

Discimus hic, Angelos esse Spiritus administratorios, emissos in ministerium illorum, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. ult. quin & magnâ voluptate perfunduntur, hominem cum Deo expia-

piatum, faluti reftitutum effe. Hinc femper operofi fuerunt, Chriftoque in opere Redemtionis miniftrarunt.

Angelus annunciat paftoribus Bethlehemiticis nativitatem ejus. Angelus Joſephum in fomnis monet ratione gladii Herodis. Angelus eum revocat, poſtquam, qui inſidiati puero erant, mortui erant, Matth. 2. v. 13, ſeqq.

Sic Angelus cum morte luſtantem confortavit, Luc. 22. v. 1. Angelus reſurrectionem ejus annunciat, Matth. 28. v. 6. Angelus quoque de adſcenſione ejus in cœlum prædicavit, Act. 1. v. 11.

Sicut igitur Chriſti apparitores fuerunt, ſic hodie tenus inſerviunt illis, qui Chriſtum amant. Caſtra metatur Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos, Pſal. 34. v. 8.

Sancti Angeli, ſunt 1. *noſtri comites*, qui cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, Pſal. 91. v. 11. Vide Tob. 12. v. 3. Hinc Bernhardus: In omni angulo reverentiam habe tuo Angelo, nec audeas illo præſente, quod me vidente erubeſceres.

2. *noſtri vigiles*, qui adverſus inſidias Diaboli & ſatellitum ejus nos protegunt, ſicut expreſſè ſancti vigiles vocantur, Dan. 4. v. 10.

3. *noſtri cuſtodes*. Hic murus ille igneus eſt in circuitu noſtro, Zach. 2. v. 5. Vide 2. Reg. 6. v. 17.

4. *noſtri monitores*, qui à malo nos avocant, & ad bonum inſtigant, & periculum, ut effugiamus, monent.

Sic Angelus Eliam in umbrâ juniperi obdormientem excitavit, 1. Reg. 19. v. 5. Angelus Joſephum de inſidiis Herodis præmonuit, Matth. 2. v. 13. Angelus Pe-

trum in vinculis jacentem excitavit, & è carcere duxit, Act. 12. v. 6. ſeqq. Angelus quoque Bileamo Iſraelitis maledicturienti obſtitit, Num. 22. v. 32.

Sic quando Deus per Angelos bonos ſalutaria nobis ſuggerit, non ſequamur Diabolum, ſed in via anguſtâ pergamus, Matth. 7. v. 14.

5. *noſtri portatores*. Qui non modò in hâc vita in manibus nos portant, Pſal. 91. v. 12. ſed & in morte nobis præſtò ſunt, animamque noſtram in ſinum Abrahamæ deportant, Luc. 16. v. 22.

Ut breviter complectar, quod manè ſoſpites ſurgimus, & veſperi ſani cubitum abimus, id omne Deo acceptum eſt ferendum, qui nos Angelorum præſidio munit, qui licet tam ſancti & præſtantes Spiritus ſint, ut meritò illis inſerviamus, illi nobis inſervire tenentur. O Domine, quid eſt homo, quod memor es ejus? aut Filius hominis, quoniam viſitas eum? minuisti eum paulò ab Angelis natura: ſed prætulisti eum gratiâ, Bernhardus, Pſalm. 8. v. 15.

II. *Ex Chriſti deſcriptione*. Sic enim Angelus ad Mariam: Ecce, concipies in utero, & paries Filium: & vocabis nomen ejus Jeſum &c.

Verba quidem pauca, ſed maximè emphatica, in illis enim omnia continentur, quæ de Chriſto Servatore noſtro, nobis ſcienda & credenda ſunt, idque quando inſpicimus,

1. *Perſona ſublimitatem*, quæ duabus naturis conſtat, divina & humanâ. Ultramque naturam Angelus indigitat, humanam quidem in his verbis: Concipies in utero & paries Filium. Hinc ſequitur, quod

gggg 2 ex

ex ipso utero virginali, & de nostra substantia carnem susceperit, ut Gregorius scribit. Nam ut pueri communicaverunt carni & sanguini, ipse similiter participavit eisdem, Hebr. 2. v. 14. Divina verò natura his verbis notatur: Hic erit magnus, & vocabitur Filius Altissimi, cum quo consentit Johannes c. 1. v. 14.

Hæ duæ in Christo naturæ ita invicem combinatæ sunt, ut Dei Filius sit hominis, & hominis Filius sit Dei Filius: non enim in Christo duæ personæ sunt, sed unus saltem est Dominus & Christus, 1. Cor. 8. v. 6. & unus Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Talis Messias necessarius nobis erat, qui esset *eadem Spiritus* in unâ subsistentiâ. Per lapsum enim Protoplastorum sub potestatem tenebrarum deveneramus, Col. 1. v. 13. Filius verò Dei propterea de cælo venit, ut in assumptâ humanâ naturâ caput serpentis contereret, & opera Diaboli dissolveret, 1. Joh. 3. v. 8. & nos è potestate ejus redimeret, quod & fecit. Vide Joh. 16. v. 11. Hebr. 2. v. 14. Col. 2. v. 15.

2. *Officii dignitatem.* Non enim modò Sacerdos, sed & Rex futurus erat.

*Officium* ejus *Sacerdotale* continetur in nomine Jesus, quod est Salvator, quia venit, ut salvaret populum suum à peccatis eorum, Matth. 1. v. 21. hoc munus fideliter exantlavit, dum non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventa, Hebr. 9. v. 12. c. 10. v. 12. Act. 10. v. 43.

*Regium* ejus *officium* his verbis continetur: Et dabit illi Dominus Deus sedem David, Patris ejus: & regnabit super do-

minum Jacob in æternum; & Regni ejus non erit finis. Hoc est, Ecclesiam & omnia vera membra ejus verbo & Spiritu suo reger, sub cruce efficaciter consolabitur & sustentabit, contra omnium hostium impetum potenter defendet, & tandem perducet in Regnum suum cæleste, ut, ubi ipse est, sint, Joh. 14. v. 3. & claritatem ejus videant, quam dedit ipsi Pater, Joh. 17. 25.

Solatio hinc cape, mi Christiane! Vera Ecclesia in his terris est spirituale Regnum Christi, sedes Davidis, in quâ Christus residet, domus Jacob super quam regnat in æternum. Fremant ergò gentes, & adsistant Reges terræ, & Principes consultant adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Psal. 2. v. 1. Conturbentur gentes, & inclinentur Regna, Psal. 46. v. 7. Serpens mittat ex ore suo aquam, tanquam flumen, Apoc. 12. v. 15. Christus Rex noster non deturbabitur de throno suo. Est nobiscum ille omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult. murus igneus futurus in circuitu nostrum, Zach. 2. v. 5. ne portæ inferorum prævaleant adversus nos, Matth. 16. v. 18.

III. *Ex miraculosa conceptione*, de quâ Angelus: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Ideoque & quod nascetur, ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Ubi describitur

I. *Modus supernaturalis*, qui exprimitur,

1. *Per superventionem.* Spiritus S. superveniet in te. Primum hominem Deus è gleba terræ, & uxorem ejus Evam è costa viri formavit, Genes. 2. v. 7. 22. deinde conjugium instituit, beneficio cujus humanum genus

genus propagatur, Act. 17. v. 26. Sed hic novum creat, Jer. 31. v. 22. Spiritus enim sanctus in Maria virgine operatur, ut supra naturæ cursum, sine commistione viri & incorruptione virginitatis concipiat. Quod & Angelus innuit, inquit: Quod in eo natum est, de Spiritu sancto est, Matth. 1. v. 20.

2. Per inumbrationem. Virtus Altissimi obumbrabit tibi. In Græco est vox *ἐκσπίδεν*, quæ de nube usurpatur, quâ tabernaculum fœderis opertum fuit, Exod. 40. v. 34. ut & de columnâ nubis, quâ Deus Israëlitas interdium in deserto ducebat, Num. 9. v. 16.

Sicut igitur Deus in V. T. non apparuit in divinâ suâ Majestate, sed nube se operuit, sine quâ Israëlitarum Majestatem ejus ferre non potuissent: Ita Filius Dei carne nostrâ se vestivit, quæ quasi nubes fuit, quâ divina ejus gloria & claritas repressâ & obvelata. Deum enim in claritate suâ nemo videre potest, Exod. 33. vers. ult. Vide c. 34. v. 29.

Hinc efficax solatium hauriamus. Deus est ignis consumens, Deut. 4. v. 24. Hebr. 12. v. 29. sed sanctissimâ conceptione suâ Filius Dei obumbravit se, ne ab igne divinæ iræ consumeremur. Hic tuti esse possumus ab irâ futurâ, 1. Thess. 1. v. 10.

2. Effectus singularis. Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quia enim Spiritus sanctus supervenit in Mariam, & virtus Altissimi obumbravit illi, hoc ipso propagatio peccati originalis præpedita, & fœtus Mariæ sanctus & immaculatus natus est.

Hoc nostri causa factum est. In peccatis enim concipimur & nascimur, Plal. 51.

v. 7. Joh. 3. v. 6. Verum sanctissimâ conceptione suâ, Christus à connato peccati originalis contagio nos sanctificavit, ut nunc nulla condemnatio in illis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

De Tertio,

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

1. *Mariam virginem imitare.* Hanc præclaro encomio maectat Angelus, inquit: Ave gratiam consecuta, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et iterum: Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum. Unde elucescit, fuisse illam piam, & Deo, probatam virginem. Luci enim ad tenebras nulla societas: nec conventio Christo ad Be-lial.

Imitentur ergo illam Christianæ virgines,

1. *In pietate.* Non enim ex curiositate discurrit, ut Dina, Genes. 34. vers. 1. sed domi in cubiculo suo se continet, & legit verba Esaiæ cap. 7. v. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium &c. ut Veterum pia opinio est. Idem nostræ quoque virgines faciant.

*Hac tñ. opinio videt probabilis: Nam ex Lit. 1. 34. patet, eam ignorasse, vel saltem Aelt dich klein/ Co tempore d' cogitasse de eo, ad Halt dich rein/ nescias ex virgine se nasciturus: Nach dich nicht zugheim/ Non potuisse a hoc ignorare, si Mit diesen dreyen Stücken/ eo ipso tempore legis, set hanc sba Esaiæ. Sol sich ein Jungfrau schmücken.*

Quin & ad exemplum Mariæ sacras literas sibi commendatas habeant, easq; studiose evolvant, ut Christus monet: Scrutamini Scripturas, Joh. 5. v. 39.



2. *In castitate.* Mariæ verè dicere potest: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.

Hoc quoque virginum nostratum exemplar sit. Hæc voluntas Dei sanctificatio vestra, 1. Thess. 4. v. 3. 5. Matth. 10. v. 26.

3. *In humilitate.* Mariæ ab Angelo audierat, quod mater Messia futura esset, sed propterea non cristas erigit, sed reverenter ait: Ecce ancilla Domini. Sic & nos humilitatem in animo foveamus: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, 1. Petr. 5. vers. 5.

II. *Voluntatem Dei percontare.* Mariæ intellexerat ab Angelo, quod conceptura sit in utero, & paritura filium: hæc mirabiles novellæ erant, propterea rogat: Quomodo fiet istud, siquidem virum non cognosco! Hoc verò non facit ex incredulitate, ut Nicodemus, Joh. 3. v. 9. sed ex docilitate, ut consilium Dei cognosceret, & fidem suam confirmaret. Legebat illa quidem in Esaia cap. 7. vers. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: quod & credit, tempore suo ita futurum esse; quomodo verò, nusquam legerat. Idèò quærit ex Angelo, & illi ansam præbet ad pleniorè explicationem, quæ hodiè tenus usui nostro inservit.

Imitare ejus exemplum, mi Christiane! & quando aliquid audis ex ore Angelorum, hoc est, verbi præconum, quod non intelligis, de mysteriis divinis, ad exemplum nobiliorum Thessalonicensium, quotidie scrutare Scripturas, si hæc ita sese habeant, Act. 17. vers. 11. quod si in Scriptura fundatum deprehendis, crede

illud, licet non intelligas, dans cum Abrahamo gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promittit Deus, potens sit & facere, Rom. 4. v. 21. Joh. 20. v. 29.

Non verò quæras *ambigendo*, ut Zacharias, qui idèò pœnâ correptus & mutus effectus est, Luc. 1. v. 18.

Non quæras *ridendo*, ut Sara, Genes. 18. v. 10.

Non *contradicendo*, ut Eques Samaritanus, 2. Reg. 7. v. 2.

Sed discendi gratiâ, sicut Mariæ quærit, quo melius informaretur, & fidem roboraret. Quo exemplo instructi, non quæramus rationem, quæ cœca est in divinis, sed Scripturæ ductum sequentes, scripta Mosis, Prophetarum & Evangelistarum, Consiliarios nostros habeamus, Psal. 119. vers. 24. Quicunque enim hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei, Gal. 6. v. 15.

III. *Abcondita ne rimare.* Mariæ non multum disputat cum Angelo: sed postquam Dei consilium & voluntatem ab eo intellexit, acquiescit, ajens: Fiat mihi secundum verbum tuum.

Hoc ipsam discamus ab illâ ne curiosi rimemur verbum Dei, sed simpliciter credamus. Ambulamus enim per fidem, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7.

Sicut igitur aures semper patent, oculi verò aperiri & claudi possunt: Ita & nos mysteria divina è Scripturâ auribus hauriamus, & fideliter custodiamus, ubi verò quicquam suprâ captum nostrum est, oculos rationis claudamus, fide illud intuentes, quod rationi absurdum, & adversum videtur. Idèò enim mysteria sunt & manent, quia ea nemo rationis scrutatio

nio intelligere valet. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, 1. Corinth. 13. vers. 12.

Interea verbo adhærentes, caveamus ne rationi nimium indulgeamus. Quemadmodum enim bombyx, quo plus telarum trahit, eò plus illis irretitur: Ita scrutator majestatis opprimetur à gloriâ, Prov. 25. vers. 27. Maria ait: Ancilla Domini sum, fiat mihi secundum verbum tuum: Sic & nos dicamus, non dubitantes, quin Deus verum facturus sit, quod

nobis promisit. Triumphator enim in Israël non fallit, 1. Sam. 15. vers. 29. Et sicut verbum illud impletum, quod Angelus ad Mariam locutus est, ita non ambigamus, quin promissa nobis facta servaturus ille sit, nosque ex miseriarum hâc valle translaturus eò, ubi revelatâ facie gloriam Domini, tanquam in speculo recipiemus, 2. Cor. 3. & ult. Ibi nobis fiet juxta verba ejus.

Quod hic Deus certissimus,  
Promisit in verbo bons,  
Jurans suum per nomen:  
Id certius certo fiet,  
Qui nos ut Angelos beet,  
Per Christum Jesum, Amen.

## FERIA II. PASCHATOS.

*Evangelium Luc. 24. v. 13. -- 35.*

### EXORDIUM.

**N**urus summi Sacerdotis Eli, uxor Phinees, quæ prægnans erat, vicinaque partui: audito nuncio, quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer tuus, & vir suus, incurvavit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. Cùm autem mors ipsi appropinquaret, dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque apposuit cor suum. Et vocavit puerum Ichabod, dicens: Translata est gloria Domini de Israël, quia capta est arca Dei, 1. Sam. 4. v. 19. seqq.

Ubi in considerationem venit,

1. *Gravidarum & parturientium conditio dura.* Phinees vidua, præ nimiam animi consternatione, ante justum tempus parit, & in partu occumbit: Ita prægnantes & parturientes variis periculis & castibus subiecti sunt, & facile quicquam accidere potest, quo aut illis aut fœtui damnum infertur. Ex hâc causa prægnantes sollicitè sibi caveant, & sedulo orent, ut Deus se & fœtum suum in tutelam suam recipiat, ne pavore, metu, lapsu vel alio modo in discrimen adducantur, & causam habeant cum Rebeccâ querendi: Si mihi sic futurum erat, quid necesse fuit concipere? Gen. 25. v. 22.

2. *Potif-*